

de manu sua Iosepho induit, significās, se ei potestatem signandi formandique decreta regni conferre, v. 42. IV. Ornat ueste byssina, lino candido & precioso, quali satrapæ regis vtebantur, sic inter satrapas eum esse iubens. V. Torque aureo collum cingit in nobilitatis signū, ne regni principib. inferior habeatur. VI. Curru secundo à suo eum collocat, vt proximus à rege in pompa regia satrapis omnib. aliis honoratior incedat. VII. Quo omnib. regni subditis de tanta eius dignitate constet, à precone proclamari iubet ABRECH: Pater tener, quod ætate iuuenis, sapientia senex esset. Onkel. Hic est pater regis. Nostrī, Flete genu. Sed est vox Ægyptia, ideo LXX tanquam peregrinam & ignotam omittunt. Rex insuper v. 44 iuramento solenni dignitatem collatam publice ei confirmat, ne quis labefactare ausit. Ego Pharaō, q.d. quam vere sum Pharaō rex, &c. Sed nondum finis honorum. VIII. Nomen Iosepho imponit officii seu dignitatis, SAPHENATH PANEACH. Communiter: Absconditorum interpretem: Sic Onkel. Vir cui secreta reuelantur: Sunt etiam vocabula Ægyptia: Hieronym. ait significare Saluatorem mundi: Iosephus. Absconditorum interpretem. LXX. contraxerunt in vocem Φορτυφαράχ. Sed de peregrinis istis frustra laboratur. Est titulus honoris dignitati conueniens. IX. Extremus honoris gradus additur nobile matrimonium, quod regis autoritate contrahit cum Asnaath filia Potipharæ Principis On. Aliqui Hebræorum volunt Potipharam istum esse eum à quo emtus, & in carcerem missus fuerat. Sed litteris differt hoc nomen ab illo. Iste enim dicitur diuinis dictionibus יְהוָה cum יְהוָה finali: Ille יְהוָה vna dictione absque יְהוָה. Iste est יְהוָה Princeps vel sacerdos On. Ille perpetuo vocatur הַנְּצָרָה princeps lantorum vel militum. Neq; Ioseph videtur ducturus fuisse filiam adulteræ, à qua ad stuprum solici-

A tatus & calumniis oppressus fuerat. alii ducem alii sacerdotem vertunt. Sacerdotem Heliopolis reddunt LXX. vbi sol colebatur pro numine. Principem ciuitatis eius fuisse est verisimilius, nisi forte, quod aliqui volūt: Sacerdos & Princeps simul fuit. Onkelos נֶגֶד Principem vertit, 2. Sam. 8. 18. filii Dauidis dicuntur בְּחִינֵּים principes seu primatii ad latera regis: Sic declaratur 1. Chron. 18. 17. Habetus gloriosissimam Iosephi promotionem, cuius aliqua umbra in promotionib. scholasticis cernitur, si magnis parua licet conferre. Ut enim Ioseph propter sapientiam titulum accipit, Interpretis absconditorum, in secundam à rege cathedram euehit, & externis adhibitis symbolis confirmatur: Ita in Scholis tituli Doctorū, Magistrorum, tanquam virtutis & sapientiae præmia solennitatibus quibusdam adhibitise. ruditis viris conferuntur. Sed nostra tantum sunt umbratilia. In Iosepho vere apparuit, quod dicitur Psal. 113. 7. Erit cedit è puluere inopem, è stercore eleuat pauperem, vt sedere faciat eum cum Principibus, cù principibus populi sui. Exaltationem præcedat oportet humilitas & patientia, quia nemo coronatur à Deo, quin prius certauerit. Quare & nos humiliemur sub potenti manu Dei, vt nos exalte suo tempore. Non omnes quidem facit proreges in terris: Reges tamen & sacerdotes omnes nos patri suo facit Christus in cælis.

Nec est quod quis querat, an licuerit ei acceptare honores oblatos. Fuit hæc exaltatio diuinum opus, quod subterfugere non debuit propter gloriam Dei. Neque honores aut diuinitæ perse inquinant, modo animus maneat humilius, quod fecit Ioseph in vtraq; fortuna τετραγωνοῦ: in aduersa patiens, in secunda moderatus.

Potior quæstio est: An repte duxerit: Ethnicam, & quidem sacerdotis Idolatrici filiam uxorem? An fuerit sacerdos an: